

1563

*Guifus ad
Aureliani
a Joanne
Politroto
interfectus.*

Regina pecuniæ, militum, tormentarii nitrati pulveris subsidia mittebantur, ad Neustriæ litora proficiscitur. Interea Guifus, vehementiore nixu Aureliano obsessus, hostes compellere ad deditorem nititur. Currenti, ac prope fortunam manu tenenti victoria simul cum vita a Joanne Politroto Engolismensi eripitur, qui pernici equo Guifum duobus comitibus septum insequutus, breviori scloppetto, *pistollam* vocant, disploso, tribusque excussis glandibus, ei humeros transfodit; quo ex vulnere paucos post dies interiit. Politrotus vero in fuga captus, a quatuor equis distractus, ac discerptus, meritas tanti facinoris pœnas luit.

*Pax inter
Regios &
Ugonos.*

Guifii obitu magna rerum omnium mutatio consecuta; egregio, ac strenuo duce amisso, ingentem Catholici jacturam perpeffi sunt. Contra qui novam religionem invexerant, majores spiritus sumpserunt, atque externorum auxiliorum spe audentiores facti, rursus cuncta diripere; in sacra, ac profana sævire; pleraque Normanniæ oppida occupare. Inde Regina tot excidiis perterrita, nullumque dissensionum fluctibus finem fore verita, consilia ad pacem flexit, quæ Ambosiæ decimoquarto kalend. aprilis his conditionibus sancita est: *Ut libera fere in universo regno facultas novæ exercendæ religionis permitteretur: patrata crimina oblivione tollerentur: Condeus, Momorantius, ac reliqui utrinque captivi liberarentur: adempta hinc, atque inde restituerentur: externæ copiæ dimitterentur.* His pactionibus debilitatæ, atque accisæ in Galliis Catholicorum rationes, atque Drocensis victoriæ brevi fructus deperditus, ac corruptus videbatur. Verum Galli temporum necessitate acta excusavere: mutuis civium cladibus brevi conterendas, atque evertendas publicas, privataque amplissimi regni opes, nisi post arma frustra experta, concordia ruentibus rebus subventum fuisset. De inita pace Carolus Venetos certiores fecit, quæque ad eam amplectendam in primis impulerant, causas significavit. Senatus cuncta prospera, ac felicia amico Regi, ac nobilissimo regno optasse; nil, nisi ab arduis in rebus spectata prudentia profectum, se scire respondit.

Discussis utcumque Galliæ procellis, religionis vero diffidiis adhuc vigentibus, Concilii tantum remedium supererat, quo a

pra-